

post daturum : mille nummum poscit. *CH.* et poscit qui- 45  
dem? *SY.* hui,

dubium id est? ego sic putavi. *CH.* quid nunc facere  
cogitas?

*SY.* egon? ad Menedemum ibo : dicam hanc esse captam  
ex Caria

ditem et nobilem ; si redimat magnum inesse in ea lucrum.

610 *CH.* erras. *SY.* quid ita? *CH.* pro Menedemo nunc tibi  
ego respondeo

“non emo” : quid ages? *SY.* optata loquere. *CH.* qui? 50  
*SY.* non est opus.

*CH.* non opus est? *SY.* non hercle vero. *CH.* quī istuc,  
miror. *SY.* iam scies.

*CH.* manē, manē, quid est quod tam a nobis graviter cre-  
puerunt fores?

## ACTVS IV

SOSTRATA CHREMES NVTRIX SYRVS i

*SO.* Nisi me animu' fallit, hic profectost anulus quem ego  
suspikor,

615 is quicum expositast gnata: *CH.* quid volt sibi, Syre, haec  
oratio?

*SO.* quid est? isne tibi videtur? *NV.* dixi equidem, ubi  
mi ostendisti, ilico

eum esse. *SO.* at ut sati' contemplata modo sis, mea nutrix.

*NV.* satis.